OBSERVATIONES DE TRICHOMATE,

QVAS
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV
IN
VNIVERSITATE LITERARIA FRANCOFVRTENSI
A. D. XXV. SEPTEMBRIS cIↄIↄCCXCVIII
DOCTORIS IN MEDICINA ET CHIRVRGIA
HONORES
LEGITIME CAPESSITVRVS
PVBLICE DISCEPTABIT

IOANN. CHRISTIAN. GOTTL. SYDOW
DRIESENA - NEOMARCHICVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

CELSO ET ILLVSTRISSIMO

COMITI ET DOMINO

de ZBOINSKI

EX INCLYTIS OLIM TOTIVS REGNI POLONICI PROCERIBVS ORDINVM AQVILAE ALBAE ET STANISLAI EQVITI DOMINO IN KIKOL SIEKORS ETC. ETC

DOMINO ET FAVTORI SVO

INDVLGENTISSIMO

NEC NON

ILLVTSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO

VIRO

DOMINO

de ZIELINSKI

REGIO CVBICVLARIO ET CONSILIARIO PROVINCIALI DYNASTAE NOVOGRODENSI ET STEKLINENSI ETC. ETC.

FAVTORI SVO SVMME DEVENERANDO

PATRONIS
PERPETVAE OBSERVANTIAE
CVLTV PROSEQVENDIS

HAS PAGINAS

DEVOTISSIMA MENTE

D. D. D.

AVCTOR

§. I.

Instituti ratio.

Ex academiae legibus inauguralem differtationem fcripturus, nonnullas ex obferuationibus meis fuper plicae Polonicae natura atque indole, in publicam proferendi lucem, confilium inii; fiquidem nec opportunitas hactenus defuit, morbum examuffim cognofcendi, nec in pofterum mihi deerit, in illa regione medicam artem profeffuro, quae ad perfcrutandum illum morbum maxime apta, frequentiffimas eius obferuandi occafiones fubminiftrat.

Quamuis autem nec theoreticam nec practicam huius morbi partem nouis additamentis locupletare potuerim, in de-

fcriben-

ſcribendo hoc morbo Cl. DE LA FONTAINE *), praeclarum illum de plica Polonica ſcriptorem potiſſimum ſecutus; eo tamen tempore, quo in illa Poloniae regione, quae Boruſſiae meridionalis nomen tulit et in Boruſſia occidentali commorabar, frequentiſſimam huncce morbum indagandi, curandique occaſionem nactus ſum. Primo igitur de trichomatis ſingulari natura atque indole diſſeram; addamque deinceps ex meis obſeruationibus praecipue illas, quae declarando ſingulari huius morbi genio illuſtrandaeque eius curationi maxime inſeruire, mihi quidem videntur.

Cum iam ſatis certum ſit, plicam Polonicam in vetuſtis Polonorum ſedibus et quidem ſecundum Cl. DE LA FONTAINE inde a Viſtulae fluminis origine vsque ad montes Carpaticos, in Litthavia, Ruſſia rubra et alba, nec non Tartaria modo lenius modo atrocius graſſari endemicam: indoles atque decurſus morbi, cuius ſymptomata alias ſatis incerta obſeruatorem facile fallunt, a medico ſingularis naturae huiusce morbi ignaro, admodum difficulter cognoſcun-

*) F. L. DE LA FONTAINE *chirurgiſch - mediciniſche Abhandlungen vermiſchten Inhalts, Polen betreffend* 1792.

noſcuntur. Non pauci mihi obuenerunt caſus, in quibus a morbi initio nullam prorſus plicae habebam rationem, de hac propter res circumſtantes ne quidem cogitans, ſi v. c. cognitum habuerim, aegrotos e Germanorum eſſe gente, vel e Boruſſia meridionali iam pridem exceſſiſſe; interim ſaepe accidit, vt modo inexſpectata plicae eruptio, modo alius caſus latentem morbum proderent eiusque curationi vnice operam dare, iuberent.

Multas rariores a Cl. DE LA FONTAINE praecipue obſeruatas res, et ipſe opportuna occaſione expertus ſum. Sic peſſima ante eruptam plicam, ſymptomata, eaque poſt eius abſciſſionem praematuram et imprudenter inſtitutam, etiam deteriora vidi.

§. II.

Morbi deſcriptio.

Intelligimus ſub plicae Polonicae vel trichomatis nomine, ſingularem quandam capillorum concretionem et conglutinationem plane inexplicabilem indiſſolubilemque, a peculiari nobis adhuc incognito miasmate oriundam.

Praecedunt hunc morbum in exſtincta Polonia admodum frequenter obuium, multa

ta diuerſaque ſymptomata plus minus grauiora, e quibus maxime notari merentur: cephalalgiae vehementes; ſenſatio in oculis grauatiua cum intercepta viſus acie; ſuſurrus aurium; extremarum partium languor et dolores rheumatici; articulorum et oſſium tumores; digeſtio laeſa, inordinata; febris; colica; animi deliquia; deliria; ſpasmi; vrinae retentio; aluique obſtructiones. In mulieribus menſtruorum fluxus turbatio, cum nauſea, vomitu, meteorismo potiſſimum coniuncta, obſeruatur.

Quamquam autem ſudoribus vehementiſſimis, viſcidis, ac perquam ingratis caput verſus et capillos affatim prorumpentibus, illis quidem glutine inter ſe concretis et quaſi in vnam maſſam coactis, morbus ipſe plerumque ſoluatur; haud raro tamen accidit, vt haecce criſis in longius tempus differatur, atque interea multa grauiora ſymptomata morbum concomitentur. Haec eo diutius perdurare ſolent, quo magis nonnullae res circumſtantes criſin morentur; inter quas habentur capilli breues, rari, et ipſa medici et aegroti ignorantia reſpectu cauſſae morbi, cuius latentis ſymptomatum fallacium curam gerit medicus, aegritudinum ſanationem, morbo ipſo non cognito, fruſtra exſpectans. Verum non in capillos tantum, ſed ad omnes reliquas corporis piloſas partes

materiei

materiei trichomaticae decubitus fieri poteſt. Haud raro etiam ad vngues pedum ac manuum deponitur iſta materies.

§. III.

Morbi ſpecies.

Sunt autem morbi ſpecies notabiliores maxime ſequentes:

1) plica vera et ſpuria;
2) plica benigna et malae indolis;
3) plica evidens et larvata;
4) plica recens et inueterata;
5) plica ſimplex et complicata;
6) plica denique hereditaria et contagio acquiſita.

Plicam veram dicimus, ſi materia quaedam nomine trichomaticae vulgo nota, in corpore antea latitans, poſt praeuia ſymptomata mox breuioris durationis, mox diuturna, viſcidis et foetidis ſudoribus ad caput capillatum critice defertur, capillos implicat atque conglutinat, ſimul cum antecedentium ſymptomatum imminutione, vel perfecta ſaepe eorum remiſſione.

Enimvero ex immunditie, capillis nempe impexis, oritur *plica ſpuria;* cuiusce rei exempla plura vidi. Etenim Polonus, in quocunque fere morbo, qui ipſi alicuius momenti videtur, plicam latentem timens, capil-

capillorum ſudoribus viscatorum abſciſſionem, vel ope pectinis explicationem valde reformidat, mali exitus, quem hic cultus in plica habet, minime ignarus; vnde cirrhi naſcuntur plicam ſimulantes, ſine vlla noxa pectine explicandi, vel reſecandi.

Benignam nominamus *plicam* ſi praeuia leuiori tantum naſcitur aegritudine breuique tempore a capite iterum ſeparatur.

Plicam contra *mali moris* grauiſſimae diuturnaeque praecedunt affectiones, perſeuerantque ſub ipſa plicae eruptione atque adeo poſt eam perſiſtunt. Malignam quoque naturam plica contrahit, ſi cum aliis morbis interdum complicatur.

Euidens *plica* et manifeſta, aut protinus cognoſcitur ipſo eius adſpectu, aut nondum erupta, ex morbi praeſentis ſymptomatibus cognoſcitur; praeſertim ſi aeger, iam plica ſaepius obnoxius iisdem, quas antea perpeſſus eſt, affectionibus corripitur. Hoc eo melius perſpicitur, quo magis aegrotus iam aliquoties morbo intra certa temporum internalla laborauit; aut ſi eum ex haereditate acquiſiuit.

Saepenumero ſub variorum morborum ſpecie ludit *plica laruata*, quod et ex allatis Cl. DE LA FONTAINE obſeruationibus ſatis euincitur, et nonnulla quoque a me viſa

huius

huius morbi exempla infra memoranda abunde probant.

Recens plica ab *inueterata* eo potiſſimum dignoſcitur, quod illa pinguis, nitida, foetida, plerumque in capite arcte adhaereat; haec contra arida, nouis ſanisque capillis intermediis, a capite diſtet.

In *ſimplici plica* tantummodo in ſingula corporis parte pili implicantur, ceteris partibus ab iſto vitio immunibus. *Complicata* omnes corporis piloſas partes ſimul coinquinat.

Denique in harum ſpecierum recenſu et *hereditariae* et *contagio acquiſitae plicae* mentionem facere, haud incongruum fuerit.

§. IV.

De cauſſis trichomatis.

Etſi diuerſae exſtant de plicae Polonicae geneſi et cauſſis medicorum opiniones, nulla tamen hactenus ſatis euicta eſt atque ab experientia confirmata. Sunt inter illas opiniones etiam in vulgus notas, quae a rerum vſu facile refutentur. Sic oleo lini illud vitium perperam tribuitur; Iudaeus namque Polonus, nunquam oleo lini vtens, omnium frequentiſſime morbo corripitur.

Verum nec immundities morbi cauſſam explicat, quandoquidem in aliis praeter Polo-

Poloniam terris nonnullos homines squalore obductos, hac tamen labe minime infectos, conspicimus; dum alii e contrario munditiei studiosissimi tum peregrini tum indigenae Poloni, quorum parentes atque maiores hoc nunquam pertulerunt malum, eodem quam saepissime afficiuntur.

Fuerunt etiam, quibus caussam in inueterato aliisque coniuncto acrimoniis venereo malo, in plicam paulatim degenerato, ponere placeret, hoc praeprimis argumento nixi: quod superiore tempore, quo morbus venereus vehementer grassaretur, paucissimis admodum medicis in Polonia tunc temporis degentibus, soli medicastri huius morbi curam suscepissent, eamque ita gessissent, vt symptomata tantum lenirent placarentque; hinc factum esse credunt, vt accedentibus aliis insuper morbosis acrimoniis, longa temporum successione nouam scilicet plicae formam induerit siphylis: quod mercurii aduersus plicam efficacitate luculenter demonstrari, contendunt.

Neque tamen mercurii vsus, nonnunquam omnino proficuus, illam sententiam satis confirmat: nam

1) magnam quidem iste vtilitatem attulit in morbo, cui adiuncta fuit lues venerea; id quod Cl. DE LA FONTAINE, mercurio sublimato in vtriusque morbi connubio vsus, testa-

teſtatur; et ipſe ego mercurium, interpoſitis aliis remediis haemato-catharcticis atque inprimis accedente congruo victu, multum ad mitiganda trichomatis ſymptomata valuiſſe, perſuaſus ſum; ſed et in multis aliis morbis, a venereo miasmate plane alienis mercurium maxime profuiſſe, compertum habemus, e. g. in febribus quartanis valde refractariis ſecundum illuſtr. SELLE experientiam; in angina gangraenoſa, ſcabie, hydrophobia, rhevmatismis chronicis et pluribus aliis affectionibus.

e) Ex medicorum obſeruatione plicam ante morbum venereum graſſatam fuiſſe, conſtat. Praeter has modo allatas de morbi cauſſis opiniones, nonnulli de contagio eiusdem ſequentem perhibent rationem: Plicam ſcilicet recens in puluerem redactam, poſſe etiam, ſi ex abominabili vindicta in cibos potusue iniecta fuerit, ad alios transferre contagium; quoniam non raro acciderit, vt homines poſt hunc illumue cibum vel potum, illico morbi prodromos ſentirent. Sic quoque a nonnullis accepi relatum, plicam ex herbae cuiusdam, quae nondum mihi hactenus innotuit, eſu, fuiſſe exortam. Num vero vtraque opinio quodammodo ſit probabilis, vix dicere auſim. Periculis ſaltim in brutis captis res exploranda foret, priusquam vel acutiſſimi viri, de fide illis opinio-

opinionibus aut habènda aut prorſus denegganda ſtatuerent.

§. V.

De trichomatis contagio.

Namque memorabile eſt, et in bruta ſaeuire perniciofum morbum. Certe equi, canes, oues, lupi vulpesque trichomate foedantur. Igitur, ſi quis forte ſibi perſuaſerit, chemicam plicae Polonicae analyſin declarandae ſingulari eius naturae ac indoli inſeruire poſſe; quum hunc in finem recentem plicam examini ſubiici conſultius fuerit, quam ſine grauiori inde metuenda noxa homini vix abſcideris, ex iſtis animantibus recentiſſima plica ſumi et explorari poſſet. Etſi vero hominis illorumque animalium ſucci et ſanguis haud parum a ſe inuicem diſcrepant: credibile tamen eſt, curioſam trichomatis explorationem chemicam nulla violentia peractam, ſed ſpontanea fere analyſi tentatam, cum ad explicandam occultam miri morbi naturam tum ad inueniendam certiorem remediis hactenus cognitis medelam, haud exigui vſus fore.

Verum vna maxime res in obſeruando morbo animum meum in ſe vertit, cuius mentionem fecit Cl. DE LA FONTAINE, inſitio puta trichomaticae materiae, quae

quae ad plicam eliciendam in vſum vocata, vim ſuam ſeepiſſime exſeruit. Meminit hic vir *) foeminae cuiusdam Cracovienſis, quae pulchris ornata capillis, quum plica Polonica corriperetur, ita fuit irritata, vt omnibus iſtius loci foeminis aequalem praecata ſortem, hanc rationem iniret: donauit alteri, quacum familiariter vixit, optimam, quam poſſidebat, mitram, cui hac accepta et capiti applicata, mox plica deinde in capite inſedit. Idem vir clariſſimus et puellam memorat e Franco - gallorum gente iuuentuti educandae operam dantem, quae inquinatis trichomate veſtibus, morbum contraxit.

Ante paucos et quod excurrit menſes, nobilem quendam Polonum ſeptuaginta annos natum, eiusque vxorem vegetam vidi; maritus ante plures annos plica laborans, praemature nimis atque intempeſtiue abraſis capillis, inflammationem paulo poſt palpebrae inferioris oculi dextri ſibi contraxit, quae deinde paulatim increſcens, in cancrum apertum degenerauit, qui iamiam latius depaſcens, totum oculum dextrum partesque adiacentes penitus conſumſit. Ipſi autem per plures annos foemina in eodem lecto cum marito decubuit, contagio tamen

*) pag. XIII.

men trichomaticae materiae intacta mansit. Sic et mulieris Germanicae maritum, cuius historia tertia continetur obseruatione, diligenter obseruaui; femina haec ex trium annorum spatio plicam Polonicam perpessa, vitam cum marito agens coniunctissimam, ita vt prolem quoque gignerent, tamen viro huius morbi contagium minime communicauit, qui potius perfecte sanus ab omni corporis aegritudine liber fuit.

Dantur et alia eiusmodi exempla. Quomodo igitur fieri potest, vt morbi contagium tam facile nonnullos inuadat, quum contra multi, licet omni eius suscipiendi datâ occasione, ab eo immunes sint?

§. VI.

De trichomatis therapia.

Quod ad huius morbi curationem attinet, praescriptam a Cl. DE LA FONTAINE plerumque secutus sum medendi methodum. Pilulas resoluentes SELLII, iis, a Cl. DE LA FONTAINE indicatis haud dissimiles, non sine vtilitate aegrotis propinaui. Praeter alia autem remedia, praesertim in crisis nimia retardatione maximam ostendit efficacitatem sulphur auratum antimonii, cum vsu fomentorum irritantium et calidorum, quae capiti capillato superdantur. Haec certe

te in quolibet alio morbo capitis dolores vehementiores reddidiſſent; huic autem morbo eo efficacius attulerunt leuamen, quo magis propter vim irritantem emollientemque morbi materiem capillos verſus allicerent.

Ex intempeſtiuis atque imprudenter inſtitutis plicarum abſciſſionibus peſſimas ſemper morbi ſequelas natales duxiſſe, obſeruationes a me ſaepenumero factae, quarum aliquot huic libello annexae ſunt, ſatis teſtantur.

In vaſis lymphaticis praecipuam ſedem trichomatis miaſma habere videtur; ex illis ad pilorum bulbos deferri atque ad ipſos capillos migrare credibile vtique eſt. Quinimo quoad effectus, quos producit, cum veneno ſyphilitico omnino conuenit: interim pro mea, qualiscunque ſit, experientia affirmare auſim: virus trichomaticum, niſi ad capillos aut vngues abſcedit, multo celerius atrociusque ipſo venereo morbo hominibus cladem inferre.

Denique coronidis loco, morborum ex trichomate enatorum exempla ſubiungam; minime ex aliorum narratiunculis friuole collecta, ſed a me ipſo curioſe obſeruata percurataque.

Obſeruatio prima.

Eques e velitum turma, nomine Mankau, annum agens quinquageſimum, ex Boruſſia orientali et quidem ea regione ortus, quae Polonicam plicam hactenus nondum experta fuiſſet, menſe Februario MDCCXCVII. de angina catarrhalis, vt mihi videbatur indolis, conquerebatur, cui ſanandae antiphlogiſticam adhibui methodum. Poſt biduum ingraueſcebat malum, et in loco affecto non ſolum, ſed et in glande penis puſtulae apparebant venereae (chancres) quotidie magis proſerpentes. Nunc quidem, etſi minime de venerea huius morbi natura dubitabam, ex eo quaeſiui, nonne cum muliere rem habuiſſet? At ille, nunquam prorſus ſe coitum exercuiſſe affeuerabat. Nequaquem tamen, quamuis eum diu et bene noſſem, fidem habui verbis ſuis, ſed mercurium ſolubilem HAHNEMANNI ſtatim praeſcripſi. Elapſis quatuordecim diebus, in quibus huius remedii grana XXII modo auctis modo imminutis doſibus et decoctum ſpecierum purificantium conſumſiſſet, cum ſanitate eum in gratiam rediiſſe, mihi perſuaſi. Verum poſt trium hebdomadum ſpatium, quo accuratam obſeruaſſet diaetam, omnia modo allata phaenomena iterum tamque ſubito reuerterunt, vt in

quo-

quouis vuulae latere poſt paucos dies vlcuscula impura quotidie latius depaſcentia, conſpicerentur. Adhibitis iterum, ita ſuadente HAHNEMANNO, quibus antea vſus erat, remediis, omnia ſymptomata euaneſcebant; ne vero morbus nondum fortaſſe omnino victus denuo reuerteretur, mercurii dulcis grano, quouis mane et veſpere ſumendo, vna cum decoctis purificantibus additisque ſub finem remediis purgantibus, eum vti iuſſi. Quum mihi poſt ſex hebdomadum interuallum vere ſanatus videretur, commoda tempeſtate egrediendi domo poteſtatem ei impertiui. Paulo poſt ad me iterum rediit, de faucium et oſſium naſi doloribus maxime conquerens. Inflammationem vidi reuerſam; et vlcera iterum aderant. Nunc demum mercurio ſublimato omnem eius credidi ſalutem, qui ſuam efficaciam celeriter demonſtrauit, ita vt decem eius granis aſſumtis cuncta ſymptomata tollerentur. Interim per aliquod tempus veſperi granum vnum mercurii dulcis, et liquorem C. C. ſuccinatum omni mane aegroto praebui. Omnia ſe optime habere videbantur, ſeptemque per hebdomades, aeger ab omni aegritudine fuit liber. Tum vero horrendum in modum inuaſit hominem morbus: febrium horrores, frequens vlcerum maiorum quotidie fere maligniorum in omnibus propemodo

do externis corporis partibus eruptio, offium nafi dolores, cephalalgiae vehementes, anorexia, offium frontis et tibiarum tumores comparuerunt; vt femper morbus auctior fieret. Prior mercurialium vfus, incaffum femper tentatus, et aegrotus iam viribus labefactatus, ab horum medicaminum applicatione me plane deterruit; idcirco mercurium dulcem aucta paulatim dofi tantummodo propinaui, cui corticis Peruuiani decoctum non adeo meracum, ac propter dolores vlcerum pertinaces, quibus maximopere vexabatur aegrotus, opii pauxillum interpofui. Verum tamen et nunc fymptomata tantum fubfiftebant. Maxime vero, inftante periculo, numquid de contagio quondam fuscepto fibi effet confcius, iterum atque iterum aegro quaeftionibus inftabam; tum ille, lubenter omnia, fi quae noffet, faffurum fe, affirmauit; quoniam tunc melius fibi confultum iri, apprime intelligeret. Dolores rhevmatici manuum ac pedum pertinaces morbo rurfus fefe confociarunt, ita, vt ne horulam quidem fomnum capere poffet. Poftremo, quum recordarer, me ante duos annos eundem hominem ab vlceribus, quibus afflictus fuerat, liberaffe, confuetorum tum externorum tum internorum remediorum vfu quatuor vel quinque hebdomadum fpatio confolidatis: de plica ilico cogitaui

taui atque ex eo quaeſiui, vtrum ipſe aut eius parentes vnquam hoc malo laboraſſent, an ſaltim cum hac labe affectis ipſi aliqua conſuetudo intercesſiſſet? Ad haec ille: nemini quidem in regione, quam inhabitaret, hunc morbum eſſe notum: verum memini, inquit, me paulo antea quam male affectus fuerim vlceribus, in caupona aliquando pernoctantem videre ſinalibus inquinatum vlceribus cauponem eiusque lectulo incaute me vſum eſſe. Nunc tandem, capillos eum intra biduum depectere vetui, et decoctum ſinapinum capillato capiti imponere, ſpiritum autem Mindereri mane, et pilulas reſoluentes SELLII veſperi ſumere iuſſi. Nocte ſequente, qua ſudores caput verſus erumpebant, capilli implicati fuerunt; articulorum oſſiumque dolores paulo imminuebantur et vlcera meliorem adſpectum praebebant. Vt vero de plica praeſente penitus conuincerer, capillos expediendi periculum fieri curaui, qui pectini quam maxime reſiſtebant. Poſt aliquot horas, ſymptomatibus iterum auctis vrgenteque denuo dolore oſteocopo, ſupra memoratas lotiones capiti iterum admouere, eadem remedia in vſum vocare, capilloſque ſpontaneae implicationi committere iuſſi; quo factum eſt, vt plica in capite omnino formata, omnia ſymptomata remitterent. Septimanis ſex praeterlapſis

lapſis vlcera omnia conſanuerunt, oſſiumque frontis et tibiarum tumores absque externae medicinae vſu ſeſe ſubduxerunt. In quauis tempeſtatis viciſſitudine pruritum aeger in vulnerum conſolidatorum locis tantum perſenſit. Pilularum reſoluentium, decoctique purificantis vſum per aliquod tempus continuauit, victu praecipue nutritus vegetabili. Plica autem, quamuis rari ipſi eſſent capilli, ad tantam increuit magnitudinem, vt mitram, qua antea vſus fuerat, certe haud anguſtam, multo ampliorem reddere cogeretur. Maximam vnice aegro creat moleſtiam, pediculorum magna copia, quae enormem in modum eum affligit.

Obſeruatio ſecunda.

Puella quatuordecim annorum, menſtruorum profluuium nondum paſſa, quae domino praedii cuiusdam in Boruſſia occidentali ancillabatur, a quatuor annis polypum in ſiniſtra nare alebat, qui intra hoc tempus tantum ceperat incrementum, vt pomi inſtar ex naſo ſuper os ipſum a gracili petiolo penderet. Herus eandem curae meae commiſit, et vt chirurgicum ei auxilium ferrem, rogauit. Acrimoniam aliquam in noſtra aegrota haud licuit animaduertere. Purgatis igitur prius, vt res expoſtulauit,

a ſordibus primis viis, polypum ipſum, tenera radice ſepto narium ſuperne adhaerentem, contorta agitatione euellere tentaui. Hoc etiam feliciter ac ſine magno ſanguinis profluuio peracto, ſtatim illa de reditu cogitauit ad herum, cuius praedium vnum milliare a noſtro loco diſtabat; ego vero eidem hoc diſſuaſi, eamque per aliquot dies apud me commorari iuſſi. Tertio die febris vehemens, cum deliriis per horas triginta ſex vno impetu continuans acceſſit; iam multis viſcidisque ſudoribus caput manauit, quibuscum febre remittente, plica ſimul nata eſt.

Obſeruatio tertia.

Mulier Germanica, viginti quatuor annos nata, quae puerperio modo functa, in Boruſſiam meridionalem iter fecerat, acerbis inteſtinorum ſpasmis corripiebatur; de ſenſu magni alicuius ponderis in abdomine, quaſi plumbum in inteſtinis ferret, conqueſta. Primo cauſſam in premature inſtituto itinere et perfrigerio quaeſiui. Puerperium exitum habuit felicem, verum infans ſexto a partu die vitam obierat ſupremam; lac in mammis ante ſuſceptum iter iam diſcuſſum fuit; primarum viarum ſordes nullae obſer-

uabantur

uabantur. Praefctipfi tinctnram rhei cum laudano liquido Sydenh. atque enemata in anum iniicienda curaui, quibus adhibitis ſpasmi quidem leuati ſunt, tamen quotidie reuerterunt. Aſſa foetida et anthelmintica remedia diu fruſtra tentabantur, etſi vermes nonnulli reiiciebantur. Per tres integros menſes haec ſymptomata perſeuerarunt, quum dolores artuum rheumatici inſuper accederent. Iam de plica Polonica forſitan in corpore latitante cogitabam. Decoctum ſinapinum impoſui capillato capiti veſicatoriumque nuchae admoui: vnde paucos poſt dies plicae eruptio, cum ſublata omni aegritudine. Plicam per octo ſeptimanas tulit, quae vero ad immanem prorſus creuit magnitudinem tantamque vim pediculorum, nullo remedio, propter plicae craſſitiem, necandorum arcendorumque aluit, vt foemina huius ſpurcitiei tandem pertaeſa, etſi eam a reſecanda plica ſaepius et ſerio eram dehortatus, plicam arctiſſime in cute inſidentem abſcinderet. Poſtero die, quo me in auxilium vocauit, iisdem ſpasmis iterum eam conflictatam vidi, et quum quae egerit, retuliſſet, reſecatam plicam poſtulaui, cuius niſi iam fuiſſet combuſta, capiti iterum inſerendae periculum feciſſem. Inueni pulſum ſpasmo contractum, abdomen tumidum; enemata parum attulerunt leuaminis, aeque ac medica-

medicamenta ſopientia interno vſui data. Iam, quum de promouendo critico materiae trichomaticae ad caput et capillos decubitu minime cogitari potuerim: fomenta ſinapina in auxilium vocaui cantharidumque tincturam manuum pedumque digitis diligenter affricui, vt materiam vngues verſus allicerem; ſed criſin fruſtra exſpectaui. Oportuit potius foeminam calamitatem ſuam eo usque perferre, donec capilli increuerunt. Tunc fomentatione ſupra memorata denuo caput curaui; quo factum eſt, vt plica non ſolum capillatum caput, verum etiam omnes corporis piloſas partes corriperet totamque aegritudinem fugaret.

Obſeruatio quarta.

Foemina triginta annorum ex Boruſſia orientali orta, a conuiuio baptismi cuiusdam ſolennia inſecuto domum reuerſa, de colica ſpasmodica, cum meteoriſmo enormi coniuncta, vehementer conqueſta eſt. Narrauit, ſe multifariis ciborum generibus in illo conuiuio fuiſſe vſam et ſtatim vehementem inteſtinorum dolorem et incredibilem ponderis ſenſum in praecordiis percepiſſe; quam aegritudinem, propter adeo ſubitaneam eius acceſſionem, pro incantatione haberi

beri voluit. Ipecacuanha ad excitandam emesin data nonnihil pituitae aliquoties excussit et clysteres immissi alui recrementa euacuarunt; sed horum remediorum virtus irrita fuit, neque aliis remediis antispasmodicis et sopientibus tum internis tum externis v. c. fomentis et frictionibus morbi cruciatus lenabantur. Maxima praeterea abdominis intumescentia aluique obstipatio per octiduum perseuerantes accesserunt. Quoniam omnia, quaecunque ingesta fuerint, statim euomuit aegra, interna medicamina nil prorsus perficere potuerunt; vsque dum clysmata ex fumo tabaci aluum pertinaciter clausam cum magno reserarunt leuamine. Interim, quum dolores et meteorismus nequaquam remitterent, in enematibus applicandis pergere iussi; at illa iterum atque iterum aegritudinis suae caussam in incantatione collocans, aliquem consulere voluit, qui eiusmodi morbo vnice mederi sciret. Currum itaque conscendit et ad clericum quendam trium milliarium iter fecit. Hic statim, audita morbi historia, de instante plica optime monuit; et cum ipsa ex clerici consilio tum interna tum externa remedia probe abhibuisset, quinque diebus elapsis, cum plica domum reuersa est suaeque aegritudinis magnum leuamen persensit.

Ob-

Obſeruatio Quinta.

Octauus nunc agitur annus, ex quo Iudaeus in occidentali Boruſſia plicam in capite arcte inſidentem, quam per quatuor vix tulerat hebdomades, a circumforaneo abſcidi paſſus eſt. Cuius temerarii conſilii infauſtum euentum, iam inſecuto die ad hominem vocato videre mihi contigit. Vterque oculus adeo inflammatus fuit, vt et ſupercilia coalerent aegreque a ſe inuicem diducerentur, oſtenderentque aliquantisper diductae, vaſorum albugineae membranae, propter ſanguinem infarctum, diſtentionem incredibilem. Cuius inflammationis comites fuerunt vehemens febris et cephalalgia ad occiput vsque protenſa. Hirudines oculis applicatae, pediluuia, veſicatoria, et laxantia antiphlogiſtica oculorum dolores quidem minuerunt, inflammationem autem minime ſuſtulerunt; imo vero oculus ſiniſter tranſiit in ſuppurationem, dexter autem oculus viſum recuperauit. Calidis quidem epithematibus caput fouere iuſſi; ſed ſi mihi tunc iam innotuiſſet egregia illa Cl. DE LA FONTAINE commentatio, inſitionis plicae opportuna occaſione certe vſus fuiſſem. Prouenientibus demum capillis, plica illico adhaeſit.

Ob-

Obseruatio sexta.

Foemina in eadem regione, praepostero resecata plica consilio, rheumaticis doloribus afficiebatur, qui post aliquot menses se subduxerunt; verum materia trichomatica ad vngues pedum manuumque delata, liuido eos et aspero foedauit adspectu. Quod vitium, quousque ipsi incommodauerit, quum ab illo tempore eam non viderim, ignoro.

Obseruatio septima.

Mulier triginta et octo annos nata, post intempestiue susceptam plicae abscissionem vlceribus phagedaenicis dextrae genae male mulctabatur, quae iamiam nasum fere totum et oculi dextri externas partes occupabant. Mercurius sublimatus hoc in casu maximam praestitit vtilitatem; intra mensis spatium etenim, cum grana duodecim eius remedii accepisset, sine externo medicaminum vsu ac sine plicae aut alius aegritudinis accessu perfecte sanata fuit. Iam preterierunt septem menses, et adhuc egregie valet.

Plures eiusmodi aegrotos illis in locis quotidie inuisere datur. In Iudaeis, et inferioris sortis hominibus, qui frequentissimam

ſimam patiuntur morbi labem, non licet exactius morbi initium et incrementum notare; ſiquidem plerumque, quamuis adeo ipſis auxilium gratis offeras, vetulae cuiuslibet pluris aeſtimant, quam medicorum conſilia.

At ſi omnes et ſingulos huius morbi euentus eosque plane horribiles oculis tuis vſurpare volueris, illa loca adeas, in quae ab indulgentiis celebrata, hominum multitudo confluere ſolet. In his et infelicium trichomaticorum magna caterua eſt; inter quos plures faciei mammarumque carcinomate, oſſium naſi carie, immenſae magnitudinis ſteatomatibus, vlceribus phagedaenicis peſſime affecti aeque horrendum ac miſerandum adſpectum praebent.

AMICO SVAVISSIMO

I. C. G. SYDOW

S. P. D.

P. I. HARTMANN.

Optatam mox curſu contingis metam, et ego non mediocrem animo capio voluptatem. Mutuus nos iunxit amor, Teque per hoc breue tempus, quo hic commoratus es, cognitum in remotiora adhuc tempora conſtanter culturum me eſſe, perſuaſum Tibi habeas. In Te intellexi ſitas fidem, ſinceritatem, probitatem. Gratulor mihi talem amicum, qualem Te inueni, et opportunam nunc iam diu exſpectatam nanciſcor occaſionem, animi mei ſenſum erga Te publice declarandi, et gratias debitas pro cariſſima mihique gratiſſima, qua me amplexus es, amicitia publice Tibi agendi. Sic precor, feliciſſimus morbornm pertinaciſſimorum debellatur, aegrotorum ſolatium et amicorum gaudium. Ceterum vehementer opto, vt fauſtis auſpiciis noſtrae Viadrinae valedicas, meique et noſtrae amicitiae memor eſſe velis. Haec ſunt vota mea, dum abitum parabam, feſtinanter ſcripta, quibus Te valere iubeo.